Quelle: http://manuscripta.at/?ID=8999
Copyright: Melk, Benediktinerstift

hostis audaciam· quia dominus ad aridam regionem ire eum iussit· et expulsi sathane indi
cium· iste aduersum me impetus fuit. Nulla post uerba mora et adolescens recepto sensu et
gratias agens deo et locum ubi esset agnouit· et toto antonium amplexans deo osculatus est
affectu. Innumera et alia istiusmodi signa sunt· que monachorum concordi sepe reuelaci
one cognouimus. Verum non tantum his adhibendus est stupor· quia multo plus que
secuntur conditionem nostre fragilitatis excedunt. Hora circiter nona cum ante cibum
orare cepisset raptum se sensit in spiritu· et ab angelis in sublime ferri· prohibentibus transitum
aeris demonibus· ceperunt angeli contra dicentes requirere· que esset causa retinendi· nul
lis existentibus in antonio criminibus. Illis uero ab exordio natiuitatis replicare peccata
nitentibus· calumpniosa angeli ora clauserunt· dicentes non debere eos a natiuitate
eius delicta narrare· que iam christi essent bonitate sopita· si qua autem scirent ex eo tempore quo
factus esset monachus et deo se consecrasset· liceret proferri. decusabant demones multa
procaciter mentientes· et cum deessent probamenta fallacibus· liber antonio concessus ap
peritur. Et statim rediens uidit se in eo loco in quo stare ceperat· hoc se rursum uidit esse
quod fuerat. Tum uero (oblitus) esce· ex illa hora noctem gemitu ac lamentatione transegit· se
cum reputans humanorum hostium multitudinem· et colluctationem tanti exercitus· et
laboriosum per aerem iter ad celum· et hoc apostoli dictum quo ait· non est nobis colluctacio
aduersus carnem· sed aduersus principes potestatis huius aeris. Qui sciens aerias potes
tates· ob id semper temptare luctari et contendere· ne nobis liber transitus esset ad celum·
hortabatur monens. Assumite arma dei ut possitis resistere in die mala. Ut nichil mali
habens quod de nobis dicere possit inimicus confundatur· nos autem apostolici sermonis recor
demur dicentis· siue in corpore nescio· siue extra corpus nescio deus scit. Et paulus qui
dem usque ad celum tercium raptus est· ibique auditis uerbis ineffabilibus descendit. Antonius
autem usque ad aerem sublatus post colluctationem liber conscensus apparebat. Habebat
et iam istiusmodi donum. Si cuius rei sedens in monte ignarus fuisset· et eiusmodi se
cum inquireret notionem· oranti ei a domino reuelabatur· et erat secundum quod scriptum est
a domino doctus. Denique cum a fratribus haberetur iste tractatus et ab eo sedulo sciscita
rentur quemadmodum se post corporis sarcinam anima gereret· qui ue ei locus post ea
rum concederetur· proxima nocte uox desuper nomen eius inclamitans ait. Antoni
exurge· exi et uide. Qui exurgens egressus est· sciebat enim quibus respondere deberet.
[oculis] Eleuans ad celum uidit quendam longum· atque terribilem· caput usque ad nubes
extollentem· uidit etiam pennatos quosdam se eleuare cupientes ad celum· atque illum
extensis manibus prohibere transgressum· e quibus alios apprehensos elidebat ad terram·
alios frustra retinere contendens· dolebat super se ad celestia transuolare· et maximum
gaudium mixtum merore uicti uictoresque tribuebant. Statimque ad eum uox facta
est dicens. Animaduerte quod uides. Et tunc cepit illuminato corde intelligere
animarum esse consensum et diabolum prohibentem· qui et suos retineret obnoxios· et in sanctorum
quos decipere non poterat cruciaretur uolatu. His uisionum incitatus exemplis· cottidie
ad meliora crescebat. Neque uero id quod sibi reuelatum fuerat causa iactancie fratribus referebat·